

Johann Quistorp Matthias Lobetantz

## **Disputatio Theologica De Sanctificatione**

Rostochii: Kilius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738042463>

Druck Freier  Zugang



Vert. v. A. Lobstantz

F. Guistow  
R. U. theol. 1645.



DISPUTATIO THEOLOGICA  
De  
**SANCTIFI-  
CATIONE,**

59  
*Quam*  
Duce & Auspice Spiritu S.,  
Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ  
in Academia Rostochiensis,

PRÆSIDE  
Admodum Reverentio & Excellentissimo Viro,  
DN. JOHANNES QUISTORPIO,  
SS. Theologiæ Doctore, Professore  
Publico, & Facultatis Seniore venerabili,  
Domino Præceptore ac Promotore suo  
plurimum observando,  
*Publico Examini subjicit*

**MATTHIAS LOBETANTZ,**  
Hollatus,

*Illustriſſimi Cimbrorum Ducis  
Alumnus,*

Autor & Respondens.

*Habebitur in Auditorio majore*  
ad diem 8. Octobr horis matutinis

1645

ROSTOCHII,

*Esten Nicolai Kilii, Academiæ Typographi.*

ANNO M. DC. XLV.

1645



Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Domino,  
DN. FRIEDERICO,

Hæredi Norvvegiæ, Duci Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsicæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorst, Domino suo Clementissimo.

Quamquam se multis nominibus, Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine Clementissime, beneficium tuum, quo studia mea non tam allebasti quam excisisti, commendet, duo tamen quæ me vel imprimis ad gratitudinem devinciant, inveniunt. Primum inde optimo jure momentum duxerim, quod à Te mea proficiscatur felicitas. Cui enim illam deberem libentius, quam cujus aspirante aura eorum etiam, qui suo remigio rem gerunt, portum labores expectant, cuiq; omnes, quocunque loco sint, patria cives spes & fortunas suas commendant? Neque vero solum quia Dominus es. Te Eberget agaudeo, sed quod idem sis, cujus inclitas Virtutes apprimè ornet & erudita Pietas, quam si non aula diuioq; tua loqueretur, satis argumenti esset, quod similes Tui esse quam plurimos velis. Id enim toties testatum facis, quoties in religionis sinceritate ac literarum honore conservando ornandoq; cum incomparabilitate gloria & Cimbrorum adeoq; totius posteritati emolumento, operam sumis, quam non modò qui tui sumus, sed & exteri jam venerantur. Ad quem enim omnium, quibus cordi sapientia est, non illustris Lycei tui, quod non minus pietatis & humanioris literature, quam fama tua seminarium in media Holsatia spectandum proposuisti, fama peruenit? In quo sive fundatoris auctoritatem, sive ubertatem sumptuum, sive docentium eruditionem aut discentium numerum aestimes, nihil ad serenitatem sapientia templis debitam desideres. Atque hinc mihi altera triumphandi caula nascatur, quod tantis auspiciis proficere mihi licuerit, ut celebri isto patriæ anno per septennium literis inuititus in florentissimam hanc Academiam pervenerim, in qua iam triennio Sapientia præceptis institutusq; imbuor. Et vero id eò mihi gratulandum est magis, quod præter multa mihi cum aliis communia unum illud eximium natum sum, ut integro decennio ac difficilimo patriæ tempore inoffenso studiorum cursu perfruerer. Interuenisse enim quibus respublica literaria vehementer concuteretur, pro dolor expertus sumus, cumq; nec ab illustri beneficii tui dispendio tanta posset abesse calamitas, ne tamen id penitus intercideret, in me omnium minimo cliente cadere placuit. Cuius quidem indultus fuit eventus, ut nec pristinae tuae munificentiae gloria desciceret, & aliis ad bene de omni literatura sperandū in mediis etiam malis signis esseretur, mihi verò turbulentam belli tempestatem literario otio præter bebi & restituta pacis serenitatem salutare contingeret. Quam me felicitate cum post divinam gratiam, Princeps Illustrissime, beaberis, plus equidem debere me quam posse fateor; neque tamen, quin aliquid halcyoniis meis subnatum ad Celsitudinis Tuæ pedes deponerem, facere debui. Accipe ergo, quod munus tui est, Ebergeta Clementissimè, & quem Tibi omnibus modis ornandum sum sisti, ut jam porro ingratum & vivere & mori cogatur. effice, cuius in redhostiando vices Deus Opte Max. Te cum Celsissima Familiatuendo ornandog; sustinebit. Dabam Rostochii 27. Sept. anno 1645.

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

humilimus Alumnus

Matthias Lobetanz.



Σ. Θ.

THESIS I.



Sanctificatio est, qua homo per naturam ad res divinas emortuus, Spiritus S. efficacia, per verbum & sacramenta in animo accensa, cum regeneratur per fidem ad salutem, tum renovatur ad justitiam & sanctitatem veram.

2. Sedem vocabuli, in qua Regenerationem notet, damus 1. Pet. 1, 2. ubi ad salutē nostram tres causæ Principales, *ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ πατρὸς, ἡ ἀγάπη τοῦ πνεύματος & πάντοτε τοῦ αἵματος Ἰησοῦ χριστοῦ*, conjunguntur, in qua enumeratione cum è connexis tum natura eorum actionum quæ Spiritui S. peculiatae sunt, liquet *ἀγάπη μου* esse per quem homo proximè, intrinsicè & per modum causæ ad salutem disponatur. id autem cum non præstet gratia renovationis, sola relinquitur quæ fidem accendit Regeneratio. Conf 2. Theß 2, 13.

3. Pro renovatione accipitur 1. Theß 5, 23. hoc enim loco de ea, qua ad observantiam legis divinæ refingimur, actione fuit contextus.

4. Efficens, ut omnium operum ad extra, ita etiam sanctificationis alia Absoluta est, alia Relata. Absoluta est SS. Trinitas, Pater Joh. 17, 17. ep. Jud v 1. Filius 1. Cor. 1, 2. Eph. 5. 26. 1. Cor. 1, 30. Ille, dum mittit Spiritum S. Joh. 14, 26. Hic, dum merito & intercessione sua dona invenit pro hominibus Pl. 68, 9. Eph. 4, 8. Joh 14, 16. Conf Gal 4, 6 Joh. 16, 7. iisq; sanctissimo exemplo præluceat. Relata, à qua singulariter ac ultimò proficiscitur, est Spiritus S. quod liquet ex 1. Pet. 1, 2. ubi sua singulis personis officia distribuuntur.

5. Atque hoc opus non solum intra nos perficitur, sed etiam salutarem fructum relata Patris & Filij beneficia consequuntur, eff. Prius probant Gal. 4, 6. & *τὸ ἐνοικεῖν* 1. Cor. 3, 16. Rom. 8, 9. 2. Tim. 1, Posteriorius 2. Cor. 13, 13. ubi cum Apostolus DEO Patri *ἀγάπην*, F *χάριν* tribuisset, Spir. S. *κοινωνίαν* assignat, quod accensa in nobis tanta bona communicet, Utrumque Rom 5. 5.

6. Neque solum gratia Spiritus S. sed ipse etiam Spiritus suorum animis in habitat, quæ est manifesta litera in locis proxima thes. allegatis. neque enim ei inhaerere prohibet sed potius jubet necessitas, cum possit quidem sine gratiosa presentia esse universalis, non autem sine universali gratiosa.

7. Neque tamen ex negata separatione discrimen etiam omne inter Spiritum S. & ipsius dona tollendum est. Præterquam enim quod in quibusdam locis ea de donis Spiritus prædicentur, quæ non possunt de essentia ejus asseri, ut effundi Joel, 2, 28. extingui 1. Thess. 5, 19, dividi Num. 11, 17. duplicari 2. Reg. 2, 9. Scriptura discrimen aperte innuit, quando charitatem &c. fructus Spiritus vocat, Gal. 5, 22. Eph. 5, 9.

8. Non autem *Ἀπολύτως καὶ Ἀμέσως* salutaris Spiritus S. gratia expectanda est; non enim nisi à posteriore percipitur Joh. 3, 8 neque extra ministerium verbi & Sacramentorum quaerenda præcipitur.

9. In primitiva quidem Ecclesia aliquid quod sensum feriret his *χαρισμασι* conjunctum fuisse scimus, quia, quemadmodum in rudimentis Ecclesiæ fieri solet, evidentissimis argumentis Evangelij doctrina confirmanda & propoganda, animiq; adversus persecutiones obfirmandierant, quo officio cum Ecclesiæ amplitudo ac fama nec non Scripturæ oracula perfectissima hodie fungantur, divino ordini, qui regnum suum in occulto erigi fidemq; à sensu alienam esse voluit, merito ac quiescimus.

10. Primum ergo Spiritus S. organon Verbum est, cujus non modo auctoritate prædicatur Matt. 10, 20. Heb. 10, 15. Apoc. 2, 11. sed etiam virtutis vehiculum est Luc. 24, 32. 45. Act. 10, 44. quod pertinet de efficacia verbi testimonia Heb. 4, 12. Jer. 23, 29. Rom. 1, 16. accedit quod salutare Spiritus S. actiones nunquam per raptus enthusiasticos, sed verbum nobis promittantur, per verbum enim regeneramur, 1. Pet. 1, 23. credimus Rom. 10, 17. sanctificamur Joh. 17, 17. salvamur 1. Cor. 1, 21. Jac. 1, 21.

11. Atq; ut Spiritus S. efficacia eò magis emeret, placuit DEO stulto in speciem, simplice, & à Rhetorum lenociniis quàm alienissimo sermonis genere uti, quod argumentum fuscè tractatur 1. Cor. 1, 2. cap.

12. Neque solum evangelio, quod est ministerium Spiritus S. Cor. 3, 8. Gal. 3, 2, 5. sed etiam legi Spiritus S. gratia adest, id quod effectibus Spiritui S. cum lege communibus Gen. 6, 3. Joh. 16, 8. probatur.

13. Cum

13. Cum verò efficacia spiritus legalis per carnem nostram ita debilitetur, ut iustitiam conferre nequeat, sed per agnitam peccati servitutem ad metum deducat, Rom 8, 15. fit ut lex litera dicatur 2. Cor. 3, 6. non quod nullam vim spiritus annexam habeat, sed quod non salutarem; contra verò evangelium sit νόμος τῆς πνεύματος τῆς ζωῆς, Rom. 8, 2.

14. Alia vero legis seorsim & ante evangelium considerata, alia post evangelium ratio est. Illic non nisi occidere potest, hic etiam vivificare, quod ex Rom. 8, 21. ita elicitur; Quicquid excitat ad novam obedientiam, illud ζωμιετ, eo quidem sensu quo vocabulum hoc loco allegato accipitur. Lex excitat ad novam obedientiam. E. Major certa est, quia de renatis loquitur, in quibus jam habitat spiritus Dei per fidem, & quos ad novæ vitæ studium exhortatur. Minor itidem verissima ex officio legis tertio in renatis. Neq; tamen inficiamur, vim hanc non legi insitam sed ab evangelio datam esse. nulla enim renovationis esse vita potest, nisi præcesserit regenerationis Gal. 2, 20.

15. Ut autem vim hanc suam verbum exerat, audiatur necesse est, prædicetur verò ut audiatur, Rom. 10, 14, 17. nota enim est vitæ vocis efficacia. neq; aliud causæ est, cur ministrorum verbi vocatio spiritui S. peculiariter tribuatur, Act. 20, 28.

16. Nec tamen lectioni & meditationi verbi divini virtutem suam denegamus, ad quam Salvator nos remittit, Joh. 5, 39 & alioqui sacrae nobis literæ commendant, Deut. 6, 9, 10. c. 17, 19. Ps. 1, 2, 3, Ps. 119.

17. Sed neq; negandum est, Deum in cæteribus Ecclesiasticis, ubi mutuis Doctorum & auditorum officiis vacatur, peculiarem aliquam virtutem verbo suo promississe, quod viva voce conjunctisq; precibus ac studiis illic res agatur, Vid, Exod 20, 24. Act 2, 1. cap. 4, 31.

18. Auditum verò simplicem, qui gratiam spiritus S. præcedit, à salutari, qui cum assensu & obsequio conjunctus prævia & impellente spiritus S. virtute perficitur, distinguimus. ille enim etiam cum prolubio & attentione conjunctus ab irrogenito præstari potest, quomodo Johannem Herodes, Marc. 6, 20. Felix Paulum, Act. 24, 24. audivisse dicitur: hic verò non nisi renatorum est, de quo Joh. 8, 47. Joh. 6, 45. Luc. 8, 18. Conf. Act. 16, 14. Jac. 1, 22. seq. quamvis non negemus, unum eundemq; auditum & proficisci posse à gratia Spir. S., & eam, si de incremento loquaris, conferre, Luc 8, 18.

19. Secundum spiritus S. organon sunt Sacramenta, Baptismus la-  
vacrum



vacuum regenerationis ac renovationis Spir. S. Tit. 3, 5. & Cœna. cum enim utriusque sacramenti finis sit remissio peccatorum vel collata vel obsignata, ea autem non ex opere operato, quod dicitur, sed interveniente fide, quæ est opus Spir. S. (vid. Theſ. 36) obtineatur, necesse est inter administrationem & fructum Sacramenti Sp. S. gratiam intercedere.

20. Licet verò adultis Sacramenta secundo demum loco adhibenda sint, ut in iis dona Spiritus S. jam ante per verbum collata au-geantur, nihil impedit tamen, quò minus infantibus, qui nec dum verbi capaces sunt, baptismus ad accipiendas Spiritus S. primitias conferatur. Cum enim ille finem suum ultimum qui est regeneratio in infantibus consequatur, uti ex collatione Luc. 18, 15. 16. cum Joh. 3, 5. &c. alibi demonstratur, cur de intermedio, virtutis sc. Spiritus S. collatione, dubitabimus, præsertim cum in iis minor sit quàm in adultis repugnantia?

21. Quomodo autem ad vires à Spiritu S. suffecta facultates suas accommodent infantes ad opus aliquod spirituale producendum, cum usu rationis adhuc destituantur, otiosè quæritur. Credere eos certum est, quia salvantur, & laudes Dei prædicare Psal. 8, 3.

22. Tertium in mediis locum preces sibi vendicant, Luc. 11, 13. Act. 4, 31. quæ cum in nondum initiato nullæ possint esse propriæ, sufficiunt hîc quidem alienæ Act. 8, 15. ad media salutis impetranda efficacissimæ Jac. 5, 16. ad conservandam verò & augendam Spiritus S. gratiam cum propriis conjungendæ. neq; negligantur publicæ, quarum vis ex Matth. 18, 19. agnoscitur, itemq; sacerdotales, Eph. 3, 14, 16.

23. Crucem quoq; huc referimus, quæ novum hominem summo-  
pere juvat, sive reducendis si qui desciverunt, ut apparet exemplis filii prodigi, Manassis, & Lev. 26, 41. Jes. 48, 10. sive piis magis magisque per-purgandis 2. Cor. 4, 16. 1. Pet. 1, 6, 7. & in humilitate continendis 2. Cor. 12, 7.

24. Neque dissimulandum, priorem quamque Spiritus S. gratiam susceptam & exercitam momentum adferre ad posteriorem majorisq; conferendam. Vid. Luc. 8, 18. Matt. 25, 29. ubi τὸ ἔχειν notat ita habere ut utaris.

25. Exposita causa efficiente de Subjecto videndum, quod primariò quidem anima humana, secundariò autem corpus est, illa ut naturalium ita quoque supernaturalium virium πρῶτον, δευτερον. De illa secundum mentem agitur Eph. 4, 23. Rom. 12, 2. secundum facultates tum superiores tum inferiores 1. Theſſ. 5, 23. de hoc 1. Cor. 6, 19. 1. Cor. 3, 16. Rom. 8, 11.

26. Hæc

26. Hæc subjecta ex puris naturalibus neque sufficientes vires habent ad motus & actiones spirituales vel inchoandas vel perficiendas, ita ut ad illas gratia Spiritus S. in modum afflatus cujusdam divini, qualem in virtutibus etiam E. hñici agnoverunt, accedat; neque aliquas, etsi peccato originali ligatas & debilitatas, quibus solummodo expediendis, confirmandis, & si nec dum sufficient, novarum qualitatum meriti respectum afferentium accessione augendis, eadem adhibeatur: sed omnino nullas.

27. Magna lux est testimonij 1. Cor. 2, 15. 1.  $\Psi\upsilon\chi\iota\kappa\omicron$  non est qui destinata malitia refragatur veritati, cujus admittendæ penes ipsum cætero quin esset facultas; si enim aliquid de suo afferre posset, non rectè Apostolus omnem in potentia causam in de arcesseret, quod Spiritus DEI destituatur, sed aliqua culpa penes ipsum, qui sua ope non uteretur, resideret. Restat ergo ut  $\Psi\upsilon\chi\iota\kappa\omicron$  hominem in puris naturalibus constitutum designet. 2. non modò actio (*ὁ δὲ χεῖρ*), sed etiam facultas agendi spiritualis (*ὁ δὲ δύναται γινώσκει*) & quidem 3. in primis conversionis gradibus, qui sunt notitia & assensus 4. post auditum jam verbum (non auditum enim qui contemneret?) denegatur.

28. Mens hominis non renati vocatur tenebræ Eph. 5. 8. Joh. 1. 5. Jes. 42. 16. Voluntas mortua in peccatis dicitur Eph. 2. 1. Col. 2. 13. quæ sunt vocabula non modo actus verùm etiam potentia privativa. imò ut maximè in sua sphaera ingenium hominis assurgat, jacet tamen in divinis 1. Cor. 1. 20. 21. Rom. 1. 21. adde Matt. 11. 27. c. 16. 17. Joh. 15. 5. 1. Cor. 12. 3.

29. Neque in  $\text{Ἀδυναμία}$  hac explicanda de simplici solùm privatione, sed etiam habituali, quæ cum contraria inclinatione & actione conjuncta sit, Scriptura loquitur. Sunt enim homini non renato res spirituales stultitia 1. Cor. 2. 15. Sapientia carnis inimicitia est adversus DEUM Rom. 8. 7. Conf. Eph. 2. 3. Gen. 6. 5. c. 8. 21. Ezech. 11. 19. c. 36. 26. Jes. 48. 4. Jer. 17. 9. Membra sunt arma injustitiæ Rom. 6. 13. 19. Conf. Rom. 3. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & refer huc emphases vocum quibus sanctificatio describitur inf. th. 52. 183.

30. Atque hæc est ante cœptam sanctificationem virium humanarum ratio, quæ quomodo cum in ipsa sanctificatione tum post eam se habeant, in formæ deductione considerabimus. Eam verò absolvit Re-  
gene-

generatio & Renovatio, quibus vocibus gratiam Spiritus S. circumfcribit Apostolus Tit. 3, 5. Illa *παλιγγενεσία* Tit. 3, 5. *ἀναγέννησις* 1. Pet. 1, 3. *Ἀπὸκλήσις* Jac. 1, 18. Hæc *ἀνακαινώσις* Rom. 12, 2, 2. Cor. 4, 16. Col. 3, 10. *Ἀνεπέωσις* Eph. 4, 23. *μεταμόρφωσις* Rom. 12, 2. dicitur.

31. Non est autem harum actionum inde arcessenda differentia, quod vel successivè fiant, vel una ab altera sit separabilis. quæ enim in causis & effectis sint conjunctissimæ, cur in vicem divellerentur? quid autem lege & Evangelio in prædicatione, fide & nova obedientia conjunctius? nec regeneratum rectè dixeris, qui in Christum credens eum non imitatur.

32. Differunt tamen 1, ut causa & effectus, neque enim renovaret gratia si non regeneraret Vid. inf. th. 64. 2. effectibus, qui Regenerationis sunt adoptio Joh. 1, 12. 13. Spes vitæ æternæ 1. Pet. 1, 3, 4. Fides 1 Joh. 5, 4. Renovationis novus homo, qui secundum DEUM creatus est in justitia & sanctitate vera Eph. 4, 24. probare (cum obsequio cognoscere) quæ nam sit bona accepta & perfecta DEI voluntas, Rom. 12, 2. & ubicunque de renovatione agitur, opera legis inculcari videas Conf. Col. 3, 9. 10 3. effectuum adjunctis. adoptio enim non admittit incrementa; admittit autem novus homo 2. Cor. 4. 16. c. 3. 18.

33. E primo discrimine liquere potest, cur fuga peccatorum mortalium, quæ est effectus renovationis, regenerationi tribuatur 1. Joh. 3, 9. c. 1, 18. ne enim regnet peccatum, non modò præstat gratia renovationis, quæ consensum aufert, sed etiam regenerationis, quando fide in Christum reatus tollitur; alterutrum enim horum si absit, peccatum veniale non erit. accedit, quod concupiscentiam frænare possimus, id mediâtè etiam à fide esse, in quantum illa novum cor omnesq; bonas vires, adeoq; omne consilium ac successum, à DEO impetrat. hinc quod regenerationi locis modo allegatis, id 1. Joh. 5, 4. fidei tribuitur. Si cui tamen hæc ejus momenti videantur, ut censeat regenerationem in latiore significato etiam renovationem complecti, ei non refragamur, dummodo & strictiorem significationem ex Tit. 3, 5. concedat, nec vice versa regenerationis effectus ad renovationem transferat.

34. Cum etiam ex effectu causa arguatur, certissimum regenerationis argumentum est renovatio Rom. 8. cum per fructus Spiritus alios v. 9, 14. tum in primis preces v. 15. quæ cum sint communia divini Spiritus & humani, sed regniti, opera, ille huic *συμμερτυρεῖν* dicitur v. 16.

hoc

hoc autem argumentum foris tantum probabile est, in nobis ipsis apodicticum, eo quod nec omnes actiones spirituales in oculos incurraunt, & quæ incurraunt, non totam essentiam suam, quæ maximè in principiis, fide, humilitate ac sinceritate consistit, obijciant, de quibus omnibus quisque sibi testis esse optimus potest ac debet.

35. Cæterum regenerationem à justificatione formaliter sic dicta differre, & fidè accendere, nisi *πεντηκοστήν* admittere velis, haud obscure colligas ex Joh. 1, 12, 13. Esse verò fidem Spiritus S. opus liquet ex 2. Cor. 4, 13. Phil. 1, 29. Eph. 2, 8. c. 6. 23. neq; obstat Gal. 3, 14. nam Scripturæ stylo illis etiam dicitur dari. Spir. S. qui majora ejus dona accipiunt. Vid. Joh. 20, 22. Luc. 11, 13. Zach. 12, 10. Sensus ergo est: Spiritum S. quatenus obsignat adoptionem, per fidem nobis obtingere, quamvis nec ipsa nisi è Spiritu S. concipiatur.

36. Nimirum accenditur fides, non qua ad sensum ac confestim beati sumus, sed quæ sit bonorum partim invisibilium partim futurorum Rom. 8. 25. 1. Joh. 3, 2. cujusmodi quæ sunt, sigillo opus habent. *Σφραγισθέν* ergo Spiritus S. dicitur, quod certos nos faciat de favore DEI adoptione & vita æterna, non intentionaliter solum & per modum causæ impulsivæ, (quomodo vulgò sigilla solent) sed realiter, dum fidem consolidat & in spem elaborat Vid. 2. Cor. 1. 22. Eph. 1. 13. Eph. 4, 30. Gal. 5. 5.

37. Signantior vox arrhæ est, & Spiritui S. ratione sancti illius gaudij, quod è justitia per Christum imputata & spe vitæ æternæ oritur, competit. Ut enim arrha pars est ac initium pretij in venditione pacti, quæ nos certos facit de securura per solutionem reliquæ summæ: ita Spiritus S. per accensam in nobis cœlestem illam latitiam & initium æternæ felicitatis est, & certos nos de ea facit Vid. 2. Cor. 1. 22. Eph. 1, 14. 2. Cor. 5. 5. de gaudio spirituali 1. Pet. 1. 8. Rom. 14, 17. Act. 13, 52, quod etiam Christi dicitur Joh. 15. 11. c. 17, 13. quia è merito illius nascitur.

38. Non autem momento neque in regeneratione neque renovatione Spiritus S. operatio absolvitur, sed habet suos cum gradus Mar. 9, 24. 2. Cor. 3, 18. cap. 4, 16. tum membra.

39. Graduum ea catena est, ut prior quisque tendat ad posteriorem, & posterior priorem præsupponat, quo nexu soluto salutare non sunt sic neq; cognitio & assensus, nisi ad actionem ferantur, quicquam proficiunt Ps. 50, 16. Jac. 2, 19. neque actio nisi è scientia solida proficiscatur Rom. 19, 2. c. 14, 23.

B

40. Pri-

40. Primus autem gradus est τὸ Γνωσκειν, 1. Cor. 2, 15. Conf. Luc. 24, 45. Pl. 119, 18 & per tot. Eph. 1, 17. cui affinita habes, Joh. 14, 26. 1. Cor. 2, 10. II. τὸ Δεχέσθαι 1. Cor. 2, 15. Conf. Joh. 6. 42, 44. Act. 16, 14. in quæ commendentur vid. Luc. 8, 13. 1. Thess. 1, 6. Jac. 1, 21. Act. 17, 11. huc pertinet Ἀνάκρισις πνευματικῆ 1. Cor. 2, 15, 16. de qua κατ' ἄρσιν agit 1. Cor. 4, 3, 4. κατὰ θέσιν Act. 17, 11. III. τὸ θέλειν Phil. 2, 13. cui respondet desiderium boni, sanctum propositum & cogitatio, quarum exempla sunt Act. 2, 37. Act. 9, 6. IV. τὸ ἐνεργεῖν, Phil. 2, 13. quod efficitur, ne conatus renatorum deficiant vel irriti sint. V. τὸ ἐπιτελεῖν Phil. 1, 6. Conf. 1. Pet. 1, 5. 1. Pet. 5, 10. 1. Thess. 5, 23. non quidem perfectione graduum, sed temporis & partium. huc quoq; pertinet propter multas Christianorum calamitates patrocinium & consolatio Spir. S., quod utrumq; notat vox παράκλητος. Joh. 14, 26. Conf. emphaticum locum Rom. 8, 26.

41. Ut autem in singulis his gradibus duo præstat Spiritus S. dum 1. efficit vires sanctas 2. effectus sustentat; ita gemina ratione ad eas homo se componit 1. recipiendo 2. exercendo.

42. Etenim ad effectum spiritualis efficaciz & facultatis ad actiones spirituales mens & voluntas ex suis naturalibus effectivè nihil conferunt, & hæcenus quod merè passivè se habeant, rectè dicitur.

43. Ne tamen Manicheismo vel absoluto decreto locus sit, inde efficitur, quod etsi mens originaliter non possit non divinæ impressioni obluetari, & sæpius pro dolor obluetetur actualiter, possit tamen, ne originalis repugnantia in actualem erumpat, suis viribus prohibere. Si enim dicas, etiam non resistendi facultatem à Spiritu S. proficisci, redit eadem quæstio, cur hic admittat, non ille, à Spiritu S. in quis sic admittent omnes, aut DEUS erit προσωπλήτης. est ergo in conditione aliqua, quæ penes hominem sit, & conversionem proximæ præcedat, subsistendum.

44. Sed & alter scopulus, qui securitatis est, vitandus quod fiet si tenuerimus, facultates homini natura inatas ad res rationi subjectas per gratiam Spiritus S. non aboleri sed evêhi, posseq; ac debere hominem viribus spiritualibus eas accommodare ad actionem inde eliciendam i. e. quod dici solet, post coeptam conversionem activè se habere.

45. His de causis, quod in conversionis suæ negotio homini præstantum est, nunc passivis nunc activis vocabulis exprimitur. illis, quia ante Spiritus S. gratiam nihil nisi patimur, his, quia eam acceptam non  
vi mo-

vi motus consequuntur, Conf. 1. Cor. 6. ii. cum Ies. 1. 16. & 2. Cor. 7. 1. it. 1. Pet. 2. 5, cum Jud. v. 20 ad posterius pertinet, quod eandem actionem nonnunquam DEUS & homo forniuntur. Conf. Ezech. 11, 19. c. 36, 26. 27. cum cap. 18, 31. it. 2. Cor. 7. 1. cum Phil. 1. 6. it. Deut. 10. 16. cum cap. 30, 6. quod commercium Rom. 8, 13. innui videas, dum opera carnis per Spiritum mortificare jubemur; Vires enim Spiritus S. largitur, actio inde fluens hominis per Spiritum renati est.

46. Et emphatica voce eas quæ in sanctificatione sunt hominis partes exprimit 2. Tim. 1, 6. Est enim *Ἀναζωοποιεῖν* suscitare igniculum in cineribus semi extinctum. id quod argumento est 1. dona Spiritus S. non habere se ad modum habituum, sed principiorum habitu alium tenuium, quæ in Ethicis semina & igniculi virtutum vocantur. 2. hærere illa ut scintillas quasdam inter cineres veteris Adami, quibus ne obruantur 3. assiduo pietatis exercitio ac precibus alenda & suscitanda esse, Conf. 1. Thess. 5. 19.

47. In toto autem hoc negotio. a dmonendi sumus, non sensuum iudicio standum esse, ac si non nisi ad animadversam insignem aliquam *ἔργοσφύρα* opera nobis esset sumenda, sed ubi auditu verbi & sacramentorum usu defuncti fuerimus, tum expromisso gratiam Spiritus S. adesse certis, id quod agendum est agamus, usq; quas experimur difficultatibus ad preces eò contentius fundendas utamur. Mar. 9. 24.

48. Cum ergo ad unum quod que sanctum opus Spiritus S. & homo renatus, ille vires infundendo, hic recipiendo & exercendo concurrant, dubium esse possit, an per modum causæ principalis an nude instrumentalis homo agat. posterius si eligas, ipsas actiones v.g. credere, diligere, Spiritui S. tribues, cum instrumenti actio magis sit causæ principalis. Verum erit ergo prius. Neq; n. hominem instrumentum esse inde evincitur, quod alienis viribus bene agat. nam instrumentū id demum est quod alienis viribus agit, ita ut illæ neq; naturales sint neq; impressæ. Prius enim si sufficeret, & *Ἀόγος* instrumentum humana natura esset.

49. Et tamen carnalem jactantiam vel unum illud satis impedit, quod bonum nostrum & gratuitum sit & alienum, 1. Cor. 4. 7. Gal. 2. 20. 1. Cor. 12, 3. adeoq; tota boni operis gloria Deo est accepta ferenda. Col. 3. 17.

50. De gradibus spiritualis operationis hæc sufficiant. Sequitur ut de membris, sive modos appellare velis, agamus. Ea autem duo esse iudicet subjecti ratio, Cum enim non nudus sit virium spiritualium in ho-

mine defectus, sed cum contraria inclinatione conjunctus, 1. Pravitatem exui. 2. rectitudinem indui à Spi. S. necesse est.

51. Ethunc ordinem servari non solum natura contrariorum exigit, quæ quod in uno subjecto gradibus excellentibus simul consistere non possint, se mutuo vel expellunt vel atterunt; sed etiam Scriptura testatur Ezech. 11, 19. c. 36, 26. idemq; in virium spiritualium exercitio servandus homini præcipitur. Jes. 4, 16, 17. Eph. 4, 22, 23. Col. 3, 9, 10.

52. Prius gratiæ officium exprimitur Deut. 30, 6. Col. 2, 11. 2. Cor. 4, 26. Rom. 6, 6. Ezech. 36, 26. Jes. 4, 4. Joh. 15, 2. Gen. 6, 3. Joh. 16, 8. quò pertinent similia, aquæ Joh. 7, 38, 39. Ignis, Jes. 4, 4. Matth. 3. II. Act. 2, 3. Quid vero ex hac gratia homini agendum sit, monent Deut. 10, 16. Rom. 8, 13. Rom. 6, 12. Eph. 4, 22. Col. 3, 5. &c.

53. Alterum spiritualis operationis membrum proponitur Ezech. 36, 26. Ps. 51, 13. Eph. 2, 10. Rom. 8, 11. Jer. 3, 33. Atq; hic se homo geret ex præscripto divino Eph. 5, 14. Rom. 6, 4. Eph. 4, 24. Eph. 2, 10.

54. Ac ne quis existimet, ea facilitate hic rem geri, qua cum uno contrariorum agente alterum quiescit, aut non magnopere resistit, magna cum contentione laborari à Spiritu S. testis est Scriptura, Gal. 5, 17. Rom. 7, 23. & ad hujus certaminis consortium homo vocatur, Matth. 11, 12. Luc. 13, 24. 1. Cor. 9, 24. seq. 2. Tim. 2, 5. c. 4, 7. Apoc. 2, 17.

55. Neq; hic ea fortuna decertatur, ut vel vinci hostem perpetuo contingat, vel victus resurgere aut saltem reniti non possit. quod enim victrix sæpe caro evadat, & nimis notum est, & Judæi testantur, Act. 7, 51. nec magis dubium, quod vires quandoq; recolligat & Spiritum superet Joh. 6, 66. quod verò repugnare non desinat, ipsi renati experiuntur, Gal. 5, 17. Rom. 7, 23. Is tamen eventus pugnae, si ipsa salutaris, esse debet, ut regnum carni extorqueatur, Rom. 6, 12.

56. Regnum carnis triplex deprehendet, qui tria ei inesse meminerit, Reatum, Concupiscentiam actualem & Radicem; atq; his triplicem quoq; respondere servitutem, è quibus primæ secunda subordinetur, ac sit utraq; spontanea, nec superiori dominio obnoxia & non renatorum; tertia renatorum etiam, invita, & validiore potestate contineatur, nec damnet, de illis vid. Rom. 6, 19. seq. de hac Rom. 7, 25. c. 8, 1.

57. Quod per reatum fit peccati regnum, merito Christi tollitur. Rom. 5, 21. quod per concupiscentiam persuadentem, quam *ουλολογισμῶν* Jacobus vocat cap. 1, 15. gratia renovationis concidit Rom. 6, 6, 22, quæ dum consensum aufert, suggestiones etiam, quod tertium re-

gnavat

gnum est, paulatim rariores ac languidiores efficit; nam cupiditas a-  
quam parturiens si entij prohibeatur, abortu facto languescit: quod per  
radicem sive concupiscentiam simpliciter suadentem & suggerentem,  
per mortem denum exiit.

58. Consensu ablato cum tolli regnum peccati dicimus, non tam  
frigidè eum explicamus, ut consentire non etiam is dicatur, qui malis  
cogitationibus non quantum in se est renititur, omnesq; peccandi occa-  
siones solcite declinat. Cum enim alieni peccati reus fiat, qui non impe-  
dit cum possit, quantum magis sui? Vid. 1. Thess. 5, 22. Matt. 26, 41, 1. Pet. 5, 8.

59. Imo ne ille quidem gratiæ divinæ satisfecerit, qui reliquias for-  
didum naturalium, ut ut ne in actum prodeant cohibitas atq; enervatas,  
1. peccatum esse diffitebitur 2. deijs non ex animo dolebit & ingemis-  
cet, 3. eas tegi merito Christi non expetet.

60. Prævium habemus per omnia Apostolum Rom. 7, nec de poste-  
rioribus quidem duobus dubium relinquunt v. 24. 25, primum vero si  
non è multoties repetita 6, 7, 8 capitibus peccati appellatione, saltem ex  
ea, quæ cap. 7. additur, de descriptione elucescit. Id enim quod in se, h. e. in  
carne sua habitat, neq; tamen in actus voluntarios deducitur v. 15, 19, 25.  
cum privativè describit, quod non sit bonum, v. 18. tum positivè quod  
malum v. 21 & quidem tale quod repugnet legi mentis h. e. divinæ, quam  
Spir. S. inscribit cordibus renatorum v. 23. quod se renatum in æternam  
mortem pertraheret, nisi propter Christum non imputaretur v. 24, 25.  
c. 8, 1. Quis autem non agnoscit in his formalem peccati rationem?

61. Neque forte, cur non, quicquid est in homine contrariorum  
motuum, divina gratia auferat, quærenda ratio est. Pugnantibus quidem  
& vincuntibus vitam æternam dari scimus. Vid. loca sup. th. 54. Deumq;  
virtutem suam in humana infirmitate commendare 2. Cor. 12, 9, 2.  
Cor. 4, 7. Jes. 40, 29; 30, 31.

62. His ergo limitibus cum mortificatio veteris hominis definita-  
tur, non obscurum est quos habeat novi vivificatio, unde eam progredi  
neceffe sit, & cur ad eum gradum, quem intendit Spiritus, perveni-  
re prohibeatur.

63. Neque enim subjecti perfectionem assequitur propter veteris  
Adami reliquias, neq; objecti, quia in multis omnes labimur Jac. 3, 2 neq;  
adjuncti, quia quotidiana peccatorum confessione & remissione egemus.

64. Solam ex omnibus actionibus spiritualibus Fidem, etsi ipsa  
etiam cum diffidentia luctetur & incrementa admittat Marci, 9, 24, digna-



tur DEUS, quæ spiritualia beneficia impetret, non ob suam ullam dignitatem, sed quia in meritum Christi recumbit, in quo omnes promissiones ratae sunt 2. Cor. 1, 10. neq; id solum, sed quæ etiam maculas novæ regeneratorum obedientiæ adherentes ejusdem meriti velo contégat, eamq; DEO acceptam reddat 1. Pet. 2, 5. Hujus illa est perfectissima mundities Cant. 4, 7.

65. Hac præsupposita necesse est, ut electio & delectatio hominis renati solum in bono versetur, neq; unquam cum malo communicetur. ita enim jubet exemplum Apostoli Rom. 7, 18, 22, & sine illis quod agitur hominem agentem propriè non denominat v. 17, 20.

66. Electio autem sit ἐνέργησις 2. Cor. 8, 11 aut ad ἐνέργειαν toto conatu feratur, quod Apostolus vocat ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρὸν, ducta à mercatoribus translatione, qui omnes rei bene gerendæ articulos sollicitè ancupantur.

67. Tendat verò ad actionem, quæ sit, ut ipsa, quàm perfectissimas quod est ζῆν τῷ πνεύματι, Rom. 12, 11 & εἶναι ζηλωτὴν καλῶν ἔργων Tit. 2, 14. Erit autem actio eò perfectior, quo majore cum prolubio conjuncta minusq; contrariis motib; obnoxia erit. hinc David petit sibi dari הַרְיָהּ רַחֵם פִּי Ps. 51. 14. talemq; affectû præ sefert Ps. 42, 1. Ps. 63, 1, 2. Ps. 84.

68. Atq; hoc studium præterea sit perpetuum Gal. 4, 18 Phil. 2, 12. quod pro regula habeat voluntatem divinam Rom. 12, 2. eiq; per omnia obsequi conetur Jac. 1, 4. quodq; in vera humilitate acquiescens Luc. 17, 10. totum detur amori & honori divino 1. Joh. 4, 19. Col. 3, 17.

69. Est & illa operis spiritualis indoles, ut cum sciat se æstimationem ab autore & ejus unde proficiscitur animo recipere, non se externo splendore venditet, quod hypocriseos ingenium est, sed in occulto perficiatur 1. Pet. 3, 4. Rom. 2, 29. Conf. Matt. 6. & quamvis lucem non defugiat, ita tamen se comparet, ut non suam sed DEI gloriam quærere videatur Matt. 5, 16.

70. Hactenus cum in homine progressa est Spiritus S. gratia, præter imputationis munditiam etiam illam, quæ conscientiae sive inchoationis dicitur, attigit, Phil. 2, 15, quæ tamen si non aliquo modo immunda esset, quomodo consisteret illa Prov. 20. 9. Phil. 3, 12? hanc vero illa demum perficiet, quam in futuro seculo speramus Eph. 5, 27. hæc anhelamus.

71. Effe-

71. Effectus Sanctificationis, quia è subjecti cum forma combinatione oriuntur, in superioribus expositi sunt; ita autem se consequuntur, ut 1. detur facultas obsequendi DEO, secundum quam vivere Spiritu dicimur. Gal. 5, 25. eaq; 2. cum obligatione conjuncta 1. Cor. 6, 19. 20. hinc 3. oriuntur actiones renatorum Rom. 8, 15, seq. Gal. 5, 22, 25. 4. habitus Eph. 3, 16. priores duo solius Spiritus S. posteriores etiam hominis sed regeniti sunt.

72. Aggregatum ex habitibus *πνεῦμα* dicitur Joh. 3, 6. unde denominatu *πνευματικός*, ac modo simpliciter notat eum, qui Spiritu S. regitur quomodo opponitur *ψυχικός* 1. Cor. 2, 15. ep. Jud. 19. modo eum qui gradum aliquem ac robur spirituale obtinet, quomodo opponitur *σαρκικός*, quæ vox etiam renatis nonnunquam tribuitur 1. Cor. 3, 1. Rom. 7, 14. Conf Gal. 6, 1.

73. Ultimus Sanctificationis effectus est unio spiritualis fidelium 1. cū Deo, cuius fundamentū est participatio divinæ naturæ 2. Pet. 1, 4, non essentialis, sed accidentalis, quæ consistit in sanctitate cum imputata per fidem, tum inchoata per vitæ novitatem; secundum hanc enim DEUS in nobis habitare dicitur Eph. 3, 17. Joh. 14, 23. Quæ quidem inhabitatio nihil aliud est, quam spiritualis unionis continuatio, quia solis fidelibus tribuitur, conjunctam verò habet perpetuitatem, & ulteriorem spiritualis ædificii elaborationem archi tecto Spiritu S. Eph. 2, 21, 22. 1. Pet. 2, 5. u. 2. inter se invicem, quam fundat cum prior unio, tum quæ ad eam ducit, donorum ministrantium mutua collatio & concordia. Eph. 4, 3, 4. seq.

74. In adjunctis Sanctificationis potissimum est Constantia, designata verbis Manere Joh. 14, 16. 17. Requiescere 1. Pet. 4, 14. neq; tamen absoluta, sed ad conditionem obsequij humani restricta, unde efficitur, ut de qua gratia à parte DEI possumus esse certissimi Phil. 1. 6. in ea cum timore & tremore versari jubeamur c. 2. 12. Rom. 11, 20.

75. Posse enim & renatos Spiritum S. amittere multis deduci posset, si nos in materiam de sanctorum defectione digredi ratio institui permitteret. Sufficiant exhortationes Apostolicæ Eph. 4, 30. 2. Cor. 6, 1. Heb. 6, 4. 6. frustra enim moneretur ne fieret quod fieri non posset.

76. Atq; hoc licet in omnibus cum gradibus tum in embris gratiæ divinæ usu venire possit, potissimum tamen fieri tum dicitur, cum Spiritus S. non amplius obignat adoptionem, nec voluntatem in nova obedientia.

obedientia sibi obsequentem habet, qui sunt duo spiritualis *ἐνεργείας* termini, & perpetuo nexu coherenti; qui enim Spiritum Christi non habet, non est ipsius Rom. 8. 9. 14. & vice versa sine Christo nihil possumus facere Joh. 15. 5. Conf. 1. Tim. 1. 19. 2. Pet. 1. 19. 1. Joh. 3. 6. 2. Cor. 13. 5.


77. Quibus autem actionibus amittatur Spiritus S. iudicium fieri potest ex ijs quibus retinetur. Ut enim qui vires spirituales recipit & dextrè exercet, non solum eas quas accepit retinet, sed etiam majores consequitur, ita qui vel spernit & opponit contrariū actum, vel otiosas esse patitur, eas etiam quas habet amittit Matt. 25. 29.

78. Et hujusmodi recidivam qui patitur, eum pejore loco esse, quàm si nunquam conversus esset, testatur 2. Pet. 2. 20. nimirum quia 1. gravius peccat meliora edoctus quàm rudis Luc. 12. 47. 2. quod diabolus majore cum impetu semel sibi ereptum invadat Matt. 13. 45. 3. quia peccatum ingratitude exaggeratur. 4. quia actus malus relinquit dispositionem inclinantem ad similes actiones.

79. Ut autem Spiritu regnante carnis suggestiones magis magisque atteruntur, neque tamen prorsus expirant: ita etiam quo magis peccati regnum gliscit, eo minus spiritualium motuum sentitur, qui tamen nec penitus consumentur. Gen. 6. 3. Joh. 16. 8. absque his enim esset, nemo in peccata prolapsus respiceret, nec impiis verbum DEI prædicandum foret.

80. Qui verò peccata ex peccatis ducit, sibi ipsi peccandi libidinem auget, donec perveniat ad τὸς ἀπηλθικέτας Eph. 4. 19. qui nullos melioris vitæ stimulos sentiunt, unde finalis consequitur induratio, tandemque peccatum in Spiritum S.

SOLI DEO GLORIA.







71. Effectus Sanctificationis, quia est subiecti-  
tione oriuntur, in superioribus expositi sunt; ita au-  
tur, ut 1. detur facultas obsequendi DEO, secundum  
tu dicimur. Gal. 5, 25. eaq; 2. cum obligatione con-  
20 hinc 3. oriuntur actiones renatorum Rom. 8, 15,  
habitus Eph. 3, 16 priores duo solus Spiritus S. poste-  
nis sed regeniti sunt.


72. Aggregatum ex habitibus *πνεῦμα* dicitur Je-  
minatu *πνευματικός*, ac modo simpliciter notat eu-  
gitur quomodo opponitur *ψυχικός* 1. Cor. 2, 15. ep  
qui gradum aliquem ac robur spirituale obtinet, qu-  
*σωμικῶν*, quæ vox etiam renatis nonnunquam in  
Rom. 7, 14. Conf Gal 6, 1.

73. Ultimus Sanctificationis effectus est unio  
1. cū Deo, cuius fundamentū est participatio divinæ na-  
essentialis, sed accidentalis, quæ consistit in sanctitat-  
fidem, cum inchoata per vitæ novitatem; secundum  
in nobis habitare dicitur Eph. 3, 17. Joh. 14, 23. Qu-  
tio nihil aliud est, quàm spiritualis unionis continua-  
libus tribuitur, conjunctam verò habet perpetuitat-  
spiritualis ædificii elaborationem archi recto Spi-  
1. Pet. 2, 5. n. 2. inter se invicem, quàm fundat eum p-  
ad eam ducit, donorum ministrantium mutua col-  
Eph. 4, 3, 4 seq.

74. In adjunctis Sanctificationis potissimum  
signata verbis Manere Joh. 14, 16. 17. Requiescere 1.  
absoluta, sed ad conditionem obsequij humani restr-  
ut de qua gratia à parte DEI possimus esse certissimi  
timore & tremore versari iubeamur c. 2. 12. Rom. 11.

75. Possent enim & renatos Spiritum S. amittere in-  
si nos in materiam de sanctorum defectione digree  
mitteret. Sufficiant exhortationes Apostolicæ Eph  
Heb. 6, 4, 6 frustra enim moneretur ne fieret quod f-

76. Atq; hoc licet in omnibus cum gradibus t-  
divinæ usu venire possit, potissimum tamen fieri tu-  
ritus S. non amplius obsignat adoptionem, nec v-



the scale towards document